

Sine priuilegio speciali quid possint Episcopi.

Ferdinandus Zurita

Ex animo Pontificis satis insignuato arguitur.

Illius verba.

Aliud eiusdem argumentum.

Expresior verborum tenor.

ciali licentia Pontificis dispensare, quoties id Ecclesie necessitas postulauerit, vt postulare in Indiis ob rationem dictam, & longam distantiam, videtur manifestum. Videantur illi apud Dom. Solorzanum citato, Cap. 20. num. 38. & in Politica Lib. 4. Cap. 20. Pag. 674. §. T. ann. ay. Vnde non audiendus Ferdinandus Zurita in Enchiridio Indico, Quest. 2. vbi ait Episcopum non posse cum bigamo aut homicida dispensare, qui Indicam gentem vniuersam conuersuri viderentur. Quis enim hoc credat? Ideo P. Amicus Tomo 8. Dissert. 25. num. 39. omnino veram existimat esse contrariam positionem. Concedit tamen dispensandi facultatem in casibus frequenter occurrentibus, sed hoc peculiare pro Indiis non est, & ita de Ieaniis, & Festis tradunt communiter Doctores: plus ergo aliquid illis indulgendum. Deinde etſi Pontifex de irregularitatibus ex delicto contractis loquatur, eius tamen animus maioribus fauoribus prestandis se promptum ostendit, ex quibus possit animarum salus in regionibus istis promoueri: ex eoque affirmat se ad concessionem prestatam respectu Fratrum Mendicantium fuisse permotum: quæ quidem non tantum ad irregularitatem ex delicto, sed ad alias se constat extendisse. De cetero & debitum arbitramur, vt in ijs, qua animarum salutem, tranquillamque statum respiciunt, simus fauorabiles & benigni. Hac igitur consideratione ducti, alias dilectis filijs Fratrum Ordinum Mendicantium, &c. Cum ergo talis Pontificis animus sit, constetque dispensationem cum illegitimis ad salutem animarum conducere, & consequenter ad tranquillum statum, quia tranquillitas Indiarum status ex Indorum conuersione, & exacta in rebus fidei instructione dependet; si verba eiusdem talem concessionem sonant, etſi non ita expresse, non debet de illa vllatenus dubitari. Præterea, commoditati degentium in his partibus consulere se velle Pontifex asseuerat; & ideo irregularitate non obstante promotus, & ad Beneficia Ecclesiastica electos, ac in eorum exercitio versatos, rehabilitari concedit, vt in ministerio altaris seruire queant, & officia Beneficialia pariter exercere. Atqui id, quod in hoc genere maximè necessarium erat, irregularitatem ob natalium defectum concernebat, quia plurimi erant illum parientes ad Ordines & Beneficia promoti: ergo huic maximè incommodo studet Pontifex prouidere; aliàs id, quod maximè intendit, sine remedio permanebit. Quibus addendum, post fauorem Mendicantium Ordinum commemoratum, Pontificem adiciere se velle prestatos Ecclesie Principes gratioso fauore prosequi: nihil ergo minus fuit, quod ipsis præstitit.

72. Iam quòd verba ipsa magis in speciali id indicant, ex illis patet: At cum eisdem omnibus & singulis, nunc & pro tempore in partibus Indiarum existens personis, quæ irregularitatem ex alijs, quam ex causis prædictis contraxerint, super irregularitate huiusmodi, ex quibuscumque causis, præterquam homicidij & occasione simonia contracta, vt præfertur, eadem auctoritate Apostolica dispensandi, & illos ad obtinenda & obtenta Beneficia Ecclesiastica, & officia quæcumque, & ad altaris ministerium rehabilitandi, restituendi, & reponendi, plenam & amplam licentiam & facultatem auctoritate prædicta perpetuo per presentes concedimus, & elargimur. Sic ille: qui præter duas illas ir-

regularitates homicidij & simonia, ceteras dispositioni subiicit Prælatorum: neque ob stare debet quòd Ablatium Eisdem relatos referat secundum omnes eorum qualitates, & in præsentibus illorum tantum præcesserat mentio, qui propter delicta irregularitatem contraxerant, ibi: Quas-cumque personis à delictis, per quæ irregularitas contrahitur, &c. Id enim conceditur. Sed quid inde? An non pro eisdem aliquid concedi potest? Pro quo obseruandum, non eodem modo locutum Pontificem utrobique: Prius enim ait: Quas-cumque personis. Deinde, cum eisdem omnibus & singulis, vt plenior inde appareat concessio, qualem ipse in fine pronuntiat, Amplam licentiam & facultatem. Et quidem euidenter constat non esse illam ad irregularitatem pro delictis contractam, arctandam: quia dum Pontifex homicidij causam contractam excipit, sic habet: Homicidio voluntario extra bellum commissio. Ergo commissum in bello dispensari nequit, quod autem extra bellum potest dispensari. Et tamen hoc sine peccato potest contingere: non igitur ad irregularitates ex delicto concessio debet, immò nec potest, arctari.

73. Vbi non est vis aliqua faciendi in eo, quòd irregularitates, quarum absolutio & dispensatio conceditur, dicantur contrahi, quod ad eas, quæ per actus proprios accidunt, videtur posse tantum applicari: & ita irregularitas ex defectu natalium non dicitur contrahi, sicut neque illa, quæ ex defectu aliquo naturali, vt cæcitate, & similibus. Ad hoc enim facile responderi potest etiam prædictam irregularitatem dici posse contrahi, quatenus cum origine trahitur, ad eum modum, quo peccatum originale contrahi dicitur, & alij naturæ defectus ex peccato prouenientes, vt bene explicat D. Thomas 3. p. quest. 14. artic. 3. qui propterea eos Christum non contraxisse docet, quia in illo peccatum non fuit, cum quo trahi illi potuerint, vt effectus cum causa: & ideo Christus non contraxit huiusmodi defectus, sicut alij. Sic ille claudit Articulum. Quia ergo vitia originis irregularitas adnexa est, merito contracta dici potest, quia illius causa motiua peccatum est, quod cum in parentibus fuerit, in filiis vindicatur. Et vt demus non ita proprie dici quòd talis irregularitas, sicut & alia ex naturæ defectibus, contrahantur; cum tamen priuilegium aperte fauorabile sit, vt Pontifex attestatur, amplè explicandum est, etiam si voces à sua magis propria significatione extrahi videantur, iuxta dicta Titulo 12. num. 18. & 29. Sic enim est modus vnus amplæ interpretationis seruata verborum proprietate: quia in aliquo proprio sensu verificantur, & effectus est illis adæquatus, vt cum Doctoribus, quos pro eo laudat, docet P. Suarius Lib. 8. de Legibus, Cap. 28. num. 17. Pro fundamento autem speciali, quòd ad Indica priuilegia spectat, videnda quæ diximus Titulo 12. Cap. 2.

74. Neque vterius ob stare debet obiectio ex eo quòd Pontifex concedat facultatem ad rehabilitandos, restituendos, & reponendos male promotos ad altaris ministerium, & ad obtinenda atque obtenta Ecclesiastica Beneficia. Per hoc enim supponitur eos aliquando habiles fuisse, & ita in eum statum beneficio Apostolice gratiæ redire: qui enim numquam habilis fuit, si reddatur habilis, habilitari, & non rehabilitari dicitur:

Observatio peculiaris.

Omnes irregularitates dici possunt contra-bi. Vnde occurritur obiectio.

D. Thom.

Christus et non dicitur contraxisse naturam humanam defectus.

Quia fauorabile priuilegium, generalior redditur ratio.

Quòd fauorabile ad rehabilitandum tribuatur, non obstat.

Congrua explicatio.

Ex Cap. Omnis vtriusque sexus, roboratur.

Glossa.

Irregularitas ex defectu natalium, ex delicto dici posse in Ordine ad dispensationem, tenentia aliorum.

Affirmatiua respositio.

De homicidio in bello obseruatur.

dicitur: neque restitui, qui numquam in possessione fuit: neque reponi, qui positus antea non fuerat, vt videtur extra controuersiam. At hoc dicit de patientibus natalium defectum nequit, quia isti numquam habiles ad prædicta fuerunt, quandoquidem cum originali irregularitate concepti & nati, iuxta nuper dicta. Et ita solum de prioribus illis est accipiendum, qui irregularitatem ob delicta contraxerunt. Non inquam debet ob stare, quia licet totum id, quod assumitur, verum sit; rehabilitatio, restitutio, & repositio, ad eos referenda sunt, quibus possunt conuenire. Itaque sensus est, rehabilitandos, restituendos, & reponendos, qui tali aliquo deprehensi fuerint indigere. Quemadmodum in Cap. Omnis vtriusque sexus, de Pœnit. & remiss. præcipitur. Vt omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerint, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti. Quod intelligendum est de iis, qui habuerint, quæ debeant necessariò confiteri. Vt enim Glossa ibi, verb. Omnia sua peccata, de venialibus non est obligatio: Non tamen venialia (verba illius sunt) qua illa tolluntur per Orationem Domini, vel per aquam benedictam. De Pœnit. dist. 3. Cap. De quotidianis. Et Dist. 7. Cap. Qui vult. Sic Glossa. Et eodem modo respondendum est obiectio ex eo petita, quòd Pontifex præcipit vt absoluti Pœnitentias à Confessoribus impositas teneantur adimplere: de illis enim exponendum, qui irregularitatem ob delicta contraxerunt. Quibus addere possumus sententiam esse aliquorum inter irregularitates ex delicto numerandam illam, quæ ob defectum natalium venit, cuius causa delicta parentum extiterunt. Et ita quando occulta est, ab Episcopis posse dispensari, graues Scriptores tenent, apud Dianam Parte 4. Tract. 2. Resolut. 64. Et Parte 10. Tract. 11. Resolut. 24. apud quem etiam Tract. 13. Resolut. 30. aliqui tenent per defectum talem non incurri irregularitatem, aut saltem id esse probabile. Sicut ergo cum de irregularitatibus agitur in foro occulto, quæ ex defectu natalium oritur, eo nomine comprehenditur, ita & in foro externo quando pro illo facultas conceditur ad dispensationem: quia utrobique eadem est ratio: quòd scilicet illa ex delicto parentum trahat originem, quòd Ecclesia vult in filiis castigare.

Circa dispensationem in homicidio an quidquam speciale in Indiis.

75. Respondeo affirmatiue, & in primis generaliter id statuo iuxta dicta, posse scilicet Capitulum, quidquid Episcopi circa illud, in quo diuersæ sententiæ Doctorum extant. Est autem specialis difficultas circa homicidium in bello, cuius dispensatio à Pontifice conceditur, vt vidimus num. 70. Et quando bellum iustum est, irregularitatem ex defectu lenitatis prouenientem, sicut & aliam quamcumque eiusdem generis, posse dispensari ab eo, cui ampla facultas conceditur, excepto homicidio voluntario & bigamia, tenent Doctores, quos adducit & sequitur Diana Parte 4. Tract. 2. Resolut. 69. §. Quid ego. Et idem est quando homicidium, aut

alia specialis irregularitas excipitur, vt in Bulla prædicta excipitur simonia. Vnde licet sint Doctores, qui apud eundem ibidem. & etiam Resolut. sequenti censent Episcopos non posse in irregularitate ex defectu lenitatis dispensare, quorum sententiam ipse probabilem reputat: in casu autem nostro nequit de facultate dicta dubitari ob specialem concessionem. Sed quia in bello potest etiam iniustum homicidium committi, videndum an illud sit dispensabile virtute dicti priuilegij. Et quidem quando bellum est aperte iniustum, non videtur esse posse dubium, quia malitia talis homicidij ex nullo potest capite excusari; immò grauior multo apparet, cum ad occisionem immanem quam plurius extendatur. Pro quo P. Præpositus 3. p. q. 5. de Irregularitate num. 93. Quando autem bellum iustum est, & in eo moderamen non seruatur, quia is, qui seruari poterat, occisus est, vel circa quem, vt quis se defenderet, satis erat vulneratio non lethalis, videtur dicendum posse cum eo dispensari, quia Pontifex de homicidio tantum extra bellum facto exceptionem apponit: potest ergo intra bellum factum dispensari. Si dicas: Ergo & in bello iniusto. Id negatur: quia bellum iniustum non erat cur exciperetur, quandoquidem homicidium in eo factum nullam habet specialem rationem vnde minui eius malitia possit. Cum ergo de iusto sermo sit, & homicidium in eo factum generaliter excipitur, sitque priuilegium amplè explicandum iuxta dicta, supra illud cadere dispensatio potest.

76. Casum autem proponit Diana, in quo etiam bellum sit iniustum, non incurritur irregularitas; quando scilicet aliquis inuasus non possit sibi aliter consulere, seruato moderamine inculpate tutelæ. Quod non vt certum, sed vt non improbabile proponit. Cui tamen non assentitur Petrus Cornejo 3. p. Tract. 5. de Irregularitate Dissert. 11. Dub. 2. Quest. 3. Sicut nec Cardinal. Lugo Lib. 4. Responsorum moral. Cap. 17. num. 5. Licet autem probabile non sit, videtur tamen dispensabile virtute dicti priuilegij & ratio pro illo, sicut & pro alio, de quo prius, illa est, quòd neutrum est plenè voluntarium. Quando enim in bello iusto aggressiuo, (in defensiuo enim communis sententia est non incurri irregularitatem, pro quo videndi Auctores apud Dianam citato Tractatu 2. Resolut. 29.) occiditur aliquis non seruato moderamine, aliqua in eo necessitas inculpata est, propter quam bellum assumitur. Et præterea difficile est in conflictu moderationem seruare, & ita est ex ea parte modus aliquis necessitatis. In bello item iniusto, etſi necessitas nulla antecederet fuerit, in flagranti tamen fuit illa conflictus; neque enim debet quis se occidi permittere, præsertim cum alius moderatè esse poterat defensione contentus.

Circa Bigamiam an etiam speciale quidquam.

77. Scio pro illa à Capitulo dispensationem aliquando præstitam, cui tamen Episcopus deferre noluit, Minorum tantum Ordinum collatione contentus, quia ad hoc dispensare sine

Sed dubitatur quando est illud iniustum.

Casus pro bello iniusto, in quo irregularitas non incurritur, aut potest dispensari.

Quid sine priuilegio circa illam possit.

privilegio Capitulum potuit, ſicut & Epifcopus, ut plures Doctores tenent apud Dianam *Reſolut.* 62. Quidquid P. Amicus reſolvetur *Tomo 8. Diſputat.* 25. num. 35. Et quidem ſi Epifcopi poſſunt ad Maiores de Capitulo non eſt dubitandum. Et in primis ſi illa ex peccato veniat, diſpenſabilem eſſe ab Epifcopo, Doctores non pauci tradunt apud Diana *Reſolut.* 61. Quod & tenet P. Amicus num. 38. ſicut & à Commiſſario S. Cruciatæ: pro quo videri etiam poſſunt P. Palau *Tomo 4. Tract.* 25. *Puncto* 11. num. 5. Et P. Mendus in eadem Bullam *Diſput.* 37. num. 62. Quia verò ſunt, qui & Epifcopis & Commiſſario id negent, ad firmiorem diſpenſationis ſtatum rectè poſſunt privilegij ſuffragium aduocari. De propria autem bigamiâ aut interpreta-tiâ, quæ ex delicto non oritur, loquendo, negari nequit eſſe probabile, quia excepta non eſt, ſicut alibi ſapienter excipi ſolet, ex communibus regulis, quod exceptio firmat regulam in contrarium; quod interpretatio contra eum faciendâ eſt, qui rem dicere clarius potuit; quod non ſit præſumendum velle, quod ſi voluiſſet, expreſſiſſet, de quibus non ſemel & eſt Textus ſatis vulgatus in Cap. *Ad Audientiam, de decimis*, & alij de regulis iuris in 6. Et ita de bigamia ob ſimilem rationem, de Religioſis loquentes, tenent apud Dianam *Reſolut.* 63. docti Scriptores, quia videlicet excepta non eſt.

Probabile eſſe propriam, & non ex delicto, eſſe diſpenſabilem.

Generalem regulam de conceſſione generali non urge-re.

Quid ſi occulta.

78 Quod verò ex vulgata etiam regula dici poſſet, in generali conceſſione non venire ea, quæ quis non eſſet in ſpecie verofimiliter conceſſurus. Cap. *In generali*, ſuprà; non videtur, quia conceſſio privilegij præfati non eſt generalis, quandoquidem in illa irregularitates aliqua excipiuntur. Præterea non eſt verofimile Pontificem huiusmodi facultatem non fuiſſe conceſſurum; quia ut eam concederet ſingularis ratio extitit, qualis forſan maior nulla multis retro actis ſæculis; conuerſio inquam Noui mundi, & pro tanta molis negotio neceſſitas Miniſtrorum. Vnde & inter facultates Archiepiſcopo Limenſi, quæ & aliis concedi Epifcopis ſolent, ea inuenitur, ut in bigamia vera diſpenſare poſſit, ſi neceſſitas operantium fuerit. Vbi cum veram concedat, pro aliis extare videtur ſupponere facultatem.

79 Si autem occulta bigamia ſit, quod in interpretatiâ poſſet frequenter accidere, ſine vilo ſcrupulo procedendum: quia & in illa poſſe diſpenſare Epifcopum probabile eſt, iuxta opinionem eorum, qui cenſent Epifcopum poſſe diſpenſare in homicidio occulto, ut videri poſſet apud Dianam *Parte 6. Tract.* 6. *Reſolut.* 51. Cum ergo pariter prohibeantur homicidium & bigamia; ſicut illud quando eſt occultum, diſpenſari ab Epifcopo poſſet, ſic & iſta. Neque obſtare debet ratio ſignificationis, quia & illa etiam extat in bigamia ex delicto proveniente, quo non obſtante eſt diſpenſabilis, ut iam vidimus.

Circa Diſpenſationes Matrimoniales.

Aſſertio 2. Capitulum poſſe circa illas quid-

80 Dico ſecundò. Capitulum, Sede vacante, circa illas poſſet quidquid Epifcopi poſſunt. Conſtat ex fundamentis adductis. Et de Matrimoniorum contractu loquendo; Con-

cilium Limenſe Tertium nonnulla tradit *Aſſ.* 2. Cap. 34. ſcilicet quòd ignoti & exteri, aut vagantes, nullo modo ad coniugium admittantur, niſi informationem prius Præſatus ipſe & viderit & probauerit. Quo non obſtante, id fieri à Capitulo poterit, & etiam ab eius Vicario ex ipſius commiſſione. Id probo. Nam licet Concilium Tridentinum *ſeſſione 24. Cap. 20. de Reformat.* præcipiat, ut Epifcopi per ſeipſos tantum cauſas Matrimoniales eognoſcant, graues Auctores affirmant ad Capitulum eam poteſtatem tranſire, ut videri poſſet apud Dianam *Parte 8. Tract.* 4. *Reſolut.* 22. quia Concilium tantum excluſit à cog-nitione talium cauſarum Præſatos inferiores; Capitulum autem inferius non eſt, ſed par. Quoad Vicarios autem ſimiliter philoſophandum; nam Vicarij Epifcoporum poſſunt cauſas prædictas tractare, ut quamplures Doctores docent, quos adducit & ſequitur Dom. Barboſa *Allegat.* 54. numer. 99. ergo & Vicarij Sede vacante, ſi eidem committantur. In caſu igitur noſtro non eſt de poteſtate dictâ dubitandum. Additur ibidem ne Ordinarij in diſpenſatione Denuntiationum faciles ſe exhibeant, niſi cum valde probabile eſt impedimentum maliſiſimum Matrimonio obſuturum. In quo quidem Capitulum non ſe intruſſe ſolet, totum illud Vicario relinquendo. Qui ſapienter, ſicut & Vicarij Epifcopi, circa hoc minus videntur ordinatè procedere. Eſt enim hoc Indiarum malum, ut intereſſionibus pleraque confundantur. Vnde ſatis providè à Concilio id præmonitum, quod vidimus, ut potè quod incommodum iſtud Eccleſiaſtica gubernationis altè percalebat.

quid Epifcopi. Et quid de Vicarij.

Concilium Trid.

Circa Denuntiationes praxis non probanda.

In qua & mortale peccatum.

81 Licet autem non utatur verbis præceptum indicantibus, ſed tantum illis: *Animaduertiant quoque Ordinarij*: mortale tamen peccatum eſt in Denuntiationibus ſine iuſtis cauſis diſpenſare, ut cum aliis tradit Dom. Barboſa *Allegat.* 32. numer. 50. Et ratio eſt clara: quia generaliter loquendo graue peccatum eſt diſpenſare in lege Superioris grauem continente materiam ſine iuſta cauſa. Quia verò Concilium cum Ordinariis loquitur, exiſtimare quiſpiam poſſit, Vicariis, qui Ordinarij nomine veniunt, conceſſam diſpenſandi facultatem; etiam ſi neque à Capitulo, & idem eſt de Epifcopo, conceſſa non ſit. Sic enim circa Decretum Concilij *ſeſſione 24. Cap. 1.* de Reformatione Matrimonij ſentiunt plures apud eundem *Allegat.* 32. citata numer. 28. & 29. qui ſpecialiter de Vicario Epifcopi loquuntur, & conſequenter debent idem de Vicario Capituli conſiderari. Sed alij apud ipſum contrarium tenent; licet pauciores; fortiori tamen fundamento innixi; quòd ſcilicet poteſtas diſpenſandi in generali conceſſione non concedatur. Et addendum, cum præſertim diſpenſatio in cauſa magni momenti verſatur. Pro quo videri poſſet P. Henriquez *Lib. 11. Cap. 13. num. 5.* Quia enim grauiffima eſt, diſpenſatio ſine iuſta cauſa peccatum mortale ſecum portat & ſententiam æternæ damnationis. Propter quod etiam Concilium Tridentinum diſpoſuit, ut cauſæ Matrimoniales per ſeipſos ab Epifcopis tranſigantur.

Vicarij poſſunt ſine commiſſione ſpeciali diſpenſare.

82 Similiter de diuortij cauſis aſſerendum, de quibus ſit in citato Concilio Limenſi *Aſſ.* 2. Cap. 35. *Diuortij cauſam ſolus Epifcopus per ſe cognoſcat.*

De diuortij cauſis apud Concilium Limenſe 3.

ſcit & ſinit: poterit tamen eius Generalis Vicarius proceſſum uſque ad diffinitiuam excluſiue formare: ſed niſi cauſa proſus graues, ac perſpicue probatæ interceſſerint, non ſunt Matrimonia, quæ Deus ipſe coniunxit, ſeparanda. Hæc Concilium. Quæ quidem de diuortio per ſententiam nullitatis, quæ præ-tenditur, intelligenda videntur, aut de ſeparatione perpetuâ: nam ſeparatio temporalis quoad torum non eſt tanti momenti, ut non poſſit illius cauſa cognitio & terminatio committi Vicario, ſicut & quoad cohabitationem, de qua loquitur Concilium Tridentinum *ſeſſione citata Canone 8.*

Licet grauiffima, non eſt graue peccatum eius committi.

83 Et quidem cauſam Matrimonialeſt grauem eſſe & arduam Doctores tradunt, ut videri poſſet apud Dom. Barboſam *Allegat.* 84. num. 8. & ſeqq. Inter omnes autem Matrimoniales illa eſt præcipua, cum de diſſoluedo Matrimonio agitur, & ita per Epifcopum debet terminari. Sed non videtur pro hoc talis eſſe obligatio, ut abſolute loquendo graue ſit peccatum eam commiſiſſe Vicario, qui ita doctus ſit, aut talem habeat Aſſeſſorem, cui non minus quam ſibi fidere poſſit Epifcopus. Quod ex citato Scriptore colligitur, & ex aliis ab eo adductis n. 15. Vbi ait cauſas Matrimoniales, quæ ad Epifcopum ſpectant iure Ordinario, poſſe illum committere diſcutiendas & decidendas Doctoribus, qui eius Vicarij non ſunt. Vbi ſupponit Vicariis committi poſſe non ſolum diſcutiendas, ſed etiam decidendas. Neque Concilium Limenſe grauius videtur onus imponere, ſed obligationem generalem Epifcopis repræſentat, & quid eos facere oporteat iuxta Tridentini Concilij Decretum, quod in margine citatur, nec amplius quam vidimus, iuxta receptam Scriptorum doctrinam videtur obligare.

Damna ex non bene inſpectis illis, unde Matrimoniorum frequens diſſolutio.

Circa examen teſtium.

Cap. Cum cauſam de teſtibus.

De diſpenſationibus per privilegia Indiarum.

84 Id autem quod de exacta probatione cauſarum dicitur, grauiffimam obligationem non tam inducit, quam offendit, & ſupponit ob cuius minus perſpicacem animaduerſionem Matrimonia videmus paſſim diſſolui: circa quod nihil eſt quod addamus, cum conſtat in eo graue committi peccatum, inde præſertim emergens quod teſtes leuiter exanimantur; cum circa hoc exactiſſima debeat cautela, & induſtriæ acumen adhiberi. Pro quo eſt Cap. *Cum cauſam*, de Teſtibus & ibi: *Ac eos diligenter examinare procures, & de ſingulis circumſtantijs prudenter inquirens, de cauſis videlicet, perſonis, locis, tempore, viſu, auditu, ſcientia, credulitate, fama, & certitudine, cuncta plenè conſcribas.* Sic Innocentius Tertius. De quo *Tit. 15. num. 30.*

85 Circa diſpenſationes peculiareſt, quæ per privilegia Indiarum concedi poſſunt, idem eſt quod de alijs præfatis aſſerendum: poſſe ſcilicet Capitulum circa illas quod & Epifcopi. Quia verò in illis Ordinariorum tantum mentio ſit, ut videri poſſet *Titulo 12. num. 392. & 408.* dubitari poſſet an independenter à Capitulo id Vicario competat, qui Ordinarij nomine venit. Pro quo Bonacina *Tomo 1. Tractatu de Claſſura. Queſt. 1. Puncto 8. num. 3.* & P. Thomas Sancius in *Opera morali Lib. 6. Cap. 15. numer. 30.* Et eſt ſanè probabile Vicarium eo nomine comprehendere, de quo & dictum numer. 81. quia tamen incertum, ut ibidem vidimus, vnde & multi, quos ad-

ducit Dom. Barboſa etiam *Allegat.* 54. num. 121. id negant generali illa aſſertione, quòd ſcilicet poteſtas diſpenſandi non veniat generali Vicariatus mandato: Epifcopi per ſe ipſos ſolent diſpenſationes huiusmodi aſſidentibus ſibi Societatis Patribus expedire. Quod Illuſtriſſimus Limenſis huius Metropolis Archiepiſcopus Dom. D. Petrus à Villagomez ita obſeruat, ut abſens etiam id referret ſibi, Patres per litteras conſulendo. Id ergo & Capitulum ſatis poſſet conuenienter præſtare: ſed faciliori expeditioni conuenientius apparet, ut illud Vicario committat: cum alijs eidem probabilis ſententia pro independentiâ circa effectum huiusmodi ſuffragetur.

De peculiariſſimis quibusdam Facultatibus Indiarum Epifcopis conceſſis.

86 Dico tertio. Facultates, quæ Epifcopis Indiarum per quinquennium conceſſuntur ad diſpenſandum in multis, Capitulo, Sede vacante, non competunt. Conſtat ex 28. in qua ſic dicitur: *Prædictas facultates communicandi, non tamen illas, quæ requirunt Ordinem Epifcopalem, vel non ſine ſacrorum Olorum uſu exercentur, Sacerdotibus idoneis, qui in eius Dioceſi laborant, & præſertim tempore ſui obitus, ut Sede vacante ſi qui poſſit ſupplere, donec Sedes Apoſtolica certior facta (quod quam primum fieri debet) per delegatos, vel per unum ex eis, alio modo provideat: quibus delegatis auctoritate Apoſtolica facultas conceditur, Sede vacante, in caſu neceſſitatis conſecrandi Calices, Patenas, & Altaria portatilia, ſacris Oleis; ab Epifcopo tamen benediſſis.* Sic Pontifices. Vbi cum ab Epifcopo deſignandum dicant eum, qui Sede vacante ſupplere poſſit, manifeſtè indicat facultates dictas ad Capitulum non tranſire. Quia verò dicitur *Sacerdotibus idoneis* eas poſſe committi, poterit Capitulo illas Epifcopus delegare, & aliquibus ex ipſo, quæ ſacris ſunt Oleis conſecranda. Neque obſtare videtur quod additur: *Qui in eius Dioceſi laborant.* Tantum enim per id exigitur, ut Sacerdotes tales curam ſuam ad totam Dioceſim extendant, & pro illius utilitate laborent executione traditarum ſibi facultatum. Si enim impenſum alijs laborem pro Dioceſis utilitate Pontifices ad talem delegationem vellent, non equidem qui laborant, ſed qui laborauerint, edixiſſent. Animaduertat autem Capitulum ſibi curam à Pontifice iniungi, ut mortuo Epifcopo ad Sedem Apoſtolicam pro facultatum confirmatione recurrant; quod neſcio an ita fiat. Ex huius autem diligentia neglectu non leue conſcientiæ grauamen incurritur, quia ad uſum licitum facultatum hoc onus imponitur: & Eccleſia earum fructu quoad conſecrationes eorum, quæ delegatis ante Epifcoporum committuntur aduentum, ſatis ingenti priuatur: cum præſertim in Indijs longiſſimæ eſſe ſoleant vacationes.

Aſſertio 3. Facultates quinquennales Epifcoporum Capitulo non competere.

Cui tamen poſſunt delegari.

Non tam Vicario à Capitulo, Sede vacante, eligendo.

87 Si roges an ab Epifcopo morti proximo poſſint facultates dictæ Vicario à Capitulo eligendo committi. Reſpondeo negatiue: quia cum commiſſio talis *Sacerdotibus idoneis faciendâ ſit*, de illorum idoneitate debet Epifcopo conſtare: quod tamen haberi nequit, cum eligendus ignoretur. In hoc enim maxime verum habet ea committi